

ordine de singulis, ac primum quidem de primo, id est, de Invocatione Sanctorum.

§. II. Esse hanc de Invocatione Sanctorum Doctrinam multo iniquissimam & maxime impiam adeoque Anti Christi propriam, illud est, quod primo loco est demonstrandum. Sed vero nemo illud iudicabit facile, nisi qui ante probe perspexit, quid sit illud, quod de Sanctorum cultu docet Ecclesia Romana. Quare, ne de causa nondum cognita pronunciare quicquam & statuere videamur, quod iniquum foret, ante, quatenus illa sit Pontificiorum doctrina, ostendemus, quam, qualis illa & quam impia sit, iudicemus. Per autem facile erit, eam summam, & quantum hoc loco satis est, cognoscere, si, non modo ex scriptis eorum publicis, magna totius Ecclesiae Romanae consensione comprobatis, verum etiam privatis, quorum magna apud eos est auctoritas repetatur: si inquam, praxis quoque Ecclesiae Romanae, adeoque ea, quae publice in concionibus, magnis (ut loquitur Martinus alter, Chemnitius) boatibus proclamantur, hic recenseantur, & probe conferantur. Quae omnia quancquam sine dolore quodam animi & horrore exscribi a nobis, atque in hunc locum transferri non potuere, praetermitti tamen non debebant, propterea quod sunt huiusmodi, quae inficiari aut dissimulare nequeunt ipsi Pontificii, ne per eam quidem, qua alioquin excellunt, audaciam & confidentiam.

§. III. Atque ut in rem ipsam veniamus, & sine ambagibus, quid doceant Pontificii de invocandis Sanctis, intelligamus, videamus aliquot illorum de hac re confessiones, cum publicas, tum privatas, quas collectas jam dudum aliorum opera & studio in nostros nunc usus huc transferemus. Ita vero, qui primum

no-

*Exam.
Concil.
Trid. P. III.
p. m. 235.*